

XIII

AD LYDIAM

Glyconico-Asclepiadens

Cum tū, Lȳdia, Tēlephī
Cervīcem roseam, cērea Tēlephī
Laudās bracchia ; vae ! meum
Fervēns difficilī bīle tumet iecur.

Tum nec mēns mihi, nec color
Certā sēde manett ; ūmor et in genās
Fūrtim lābitur, arguēns,
Quam lentīs penitus mācerer īgnibus.

Ūror, seu tibi candidōs
Turpārunt umerōs immodicae merō
Rīxae ; sīve puer furēns
Impressit memorem dente labrīs notam.

Nōn, sī mē satis audiās,
Spērēs perpetuum dulcia barbarē
Laedentem ōscula, quae Venus
Quīntā parte suī nectaris imbuit.

Fēlīcēs ter et amplius,
Quōs irrupta tenet cōpula, nec malīs
Dīvulsus querimōniīs
Suprēmā citius solvet amor diē.